





*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO-CHIRURGICA  
SISTENS

**CASUM CRISEOS<sup>16</sup>**  
**METASTATICÆ**  
IN TUMORE TIBIÆ CUM SUBSEQUENTE  
ULCERE GANGRÆNOSO ET CARIE OSSIS SUBSTAN-  
TIAM AD MEDULLAM USQUE EXEDENTE  
FELICITER CURATÆ

QUAM

EX CONSENSU

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
**PRO LICENTIA**

*SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME CONSEQUENDI*

IN ALMA ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE  
SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

*DIE VI. DECEMBRIS A. MDCCCLVIII*

**PETRUS NICOLAUS LERICHE Argent.**


PHILOSOPHÆ DOCT: S. S. THEOL. BACCALAUREUS PRIMI ORDINIS  
ANATOMIÆ IN NOSOCOMIO REGIO DEMONSTRATOR.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI TYPIS JOH. HENRICI HEITZII UNIVERS. TYP.


20 EBBES  
MELATHEA  
IN TUMORIS STRENUO CUM SODALITATE  
DUCER CVM PRAECEPTE CONGREGATIS  
TOMA ET ALIA MATERIA  
HABETUR OFICIA  
QVAM  
EX CEREMONIA  
GEANTIA SACRUM VENEDICT  
PRO HONORIA  
TUMORIS MATERIA HONORIS  
ESTATEM PLENIORI MATERIA HONORIS  
TUMORIS MATERIA HONORIS  
TUMORIS MATERIA HONORIS





V I R O  
ILLUSTRISSIMO  
ATQUE  
EXCELLENTISSIMO  
D O M I N O  
DOMINO JACOBO  
PINEAU  
EQUITI TOPARCHÆ  
ET  
BARONI DE LUCÉ  
DOMINO DE VIENNAY  
ST. PATER DE PESCHELLERIE  
&c. &c.

CONSILIARIOV REGIO  
SUPPLICUM LIBELLORUM  
MAGISTRO  
SUMMO REI JUDICIARIÆ  
ÆDILITIÆ ÆRARIÆQUE  
IN ALSATIA  
PRÆFFECTO  
EXERCITUUM REGIORUM  
ADMINISTRATORI  
IN OBSEQUII ET REVERENTIÆ TESSERAM  
DAT DICAT DEDICAT  
TANTI NOMINIS  
DEVOTISSIMUS CULTOR  
PETRUS NICOLAUS LERICHE.



## HISTORIA MORBI.

**N**NNO 1753 mense Januario Miles, nomine Michael Margot, legionis \*\*\* post superatam febrem acutam in Nosocomio Regio Argentinensi, afflicta fuit tumore, in parte media inferiori ad angulum internum, faciemque tibiae internam sito. Præmissis præmittendis tumor hic apertus fuit a *Parente meo carissimo*, ex quo magna puris copia extrahebatur, quo omni expulso, os tibiae nudatum comparuit, & quidem longitudine pollicis unius, paulo vero minus latitudine, abs eo tamen, quod ipsa ossis substantia, primo intuitu, alterationem aut depravationem aliquam subiisse censeri aut perspici posset. Febris, quæ interea accensa fuit, instituta suppuratione minuebatur, & cedebat, imo præfente plenaria apyrexia, credebatur, ulcus hoc feliciter curatum iri. Ast æger fame cruciatus, famique justo plus forte confulens, atque cum ultra omnem eum, quem siibi homo prudens præfigere debet terminum, satietati suæ satisfecisset, eo ipso culpæ suæ reatum subiit atque pœnam: cum nimurum febris eum de novo invaserit, quæ per convenientia remedia, venæficationes, evacuantia, diluentia, dietam exactissimam debellari non potuit, sicutque jam tunc eventus æque sinistri ac improvisi fuit pro-

A

dromus.

dromus. Namque ulceri accessit gangræna , quæ non , nisi ampliato ulcere , potuit cohiberi. His accesserunt alia symptomata gravia , nimurum anasarca , abdomen præ- primis intumescebat , respiratio maxime molesta , febris lenta. Quibus perspectis , accessit illico *Parens mens ad Celeberrimos Experientissimosque Nosocomii Regii Medicos* , ut cum illis de statu ægri consilium iniret. Si enim unquam , certe in tali casu consultum est , ut Chirurgi & Medici se interloquantur & consulant. Nec fictitium est quod exinde in ægros redundat emolumentum . & eo majorē ex felici successu satisfactionem percipiunt sanitatis ministri. Statutum fuit igitur 1º ut ægro exhiberentur juscula aperientia & amara , sale mirabili acuata , eo fine ut solidis tonus conciliaretur , & ut humores , fluidiores redditi , & in motum constituti , per vias urinarias , vel excretionem alvinam possent excerni ; 2º ut post hæc propinaretur ægro minorativum , cuius quantitas viribus , meliorique ejus conditioni esset proportionata. Porro medicamina illa omnem desideratum exeruerunt effectum ; namque evanuit illa corporis intumescensia , respiratio liberior exstitit , ex quibus tamen magna adfuit virium prostratio. Sed nunc iterum inquiramus in ulcus , caro tunc existebat pallida , mollis , fungosa , qua licet destruēta , nova regenerabatur , nec melioris notæ. Quare cogitatum est , ut ægro exhiberentur nutrientia , roborantia , ut solidis robur , flaidis autem conciliaretur consistētia melior. Ulcere igitur ob gangrænæ progressum multum hiante , os eadem proportionæ nudatum prodit , pluraque ab eo secesserunt fragmenta , consequenter ad methodicam curam & reiteratam scalpi applicationem accidere debuit. His vero cum caries ossis non destrueretur , applicatum fuit ferrum candens , quo vitiatum solvetur , & revera aliqua adhuc secesserunt fragmenta , sed

sed cum perspiceretur totam ossis substantiam carie esse infectam, tunc in usum vocatus fuit modiolus, quo bis adhibito, tota portio cariosa extracta fuit. Cum sic medullam ipsam intueri liceret, ei digitum admovit, dumque adeo & firmam comperit, ut tangentis resisteret digito, quare huic fasciolas oleis ovorum & hyperici inter se mixtis, imbutas imposuit & sic demum ad pristinum suum statum rediit. Explevere vacuum a modiolis factum carnes optimae notae, ulcerique inducta fuit cicatrix, mediante bono succo nutritio, & quod non omitendum longa temporis mora.

## S. I.

**D**octrina, quæ tradit signa mutationis morborum, nos docet multiplici modo posse judicari morbos. Vel enim materia morbifica cocta, viribus vitalibus auctis, per varia corporis colatoria emittitur, eliminatur, ita ut motus, qui in corpore existebant languidores, infirmiores, jam prorsus intendantur, libere exerceantur, & quasi reviviscant, quæ mutatio nobis exhibit ideam criseos stricte sic dictæ. (Generali enim sensu, & late acceptum nomen illud, significat judicium de exitu morbi, seu morbum terminatum esse: quocumque tandem modo illud eveniat, sive morbo finem amara mors fecerit, aut sanitati restitutus fuerit homo, aut demum alias a priori dependens exortus fuerit morbus.) Vel materia peccans ita immutatur, invertitur, corrigitur, agitatur, ut materiæ sanis humoribus propriæ prorsus assimiletur, & hæc mutationis species nobis audit ly sis, sive crisis resolutoria. Nostandum est circa hanc, quod fere nunquam absque aliqua evacuatione, quæ quidem minus est sensibilis, minus copiosa, contingat. Vel materia morbum constituens, im-

A 2 perfecto

perfecto modo cocta, non tota quanta potest per corporis colatoria transire, ita ut portio aliqua ad peculiaria corporis loca transferatur, illa occupet, ibi commoretur, novamque præparationem & coctionem subeat, quæ transmigratio metaftasis appellatur, aut si mavis, crisia metatistica. Ratione loci, quem occupat portio illa materiae morbificæ, notandum illam interdum a parte minus nobili, deferri ad nobiliorem, quæ mutatio mali semper est ominis, vel illam a loco nobili migrare ad locum ignobilem, quæ mutatio, translatio respective bona est. Non nunquam vero contingit, ut coctio ipsa, dum in materiam morbificam agere incipit, eandem invertit, corrigit, resolvit, illam ideo magis evolvat, particulas noxias magis explicet, subtiliores reddat, quo hæ aptæ reddantur, ut ad minima corporis deferantur, ex quo fit, ut possint nervos gravius afficere, vires vitae imminuere, quo coctioni perficiendæ sufficere non possint. Quibus omnia redundunt deteriora, & æger misere vel sub initium morbi e vivis tollitur. Quod si materia peccans, ita sit tenax, ita depravata, ut naturæ coctionem instituenti resistat, vel si eo tempore, quo vires vitae, demandæ materiae morbificæ pares, in illam agunt, æger ab iis recedat, quæ ipsi a medente præscribuntur, eo in casu turbatur opus salubre naturæ, protrahitur morbus, imo ordinarie fit gravior, aut aliud oritur morbus, porro vocantur hæ mutationes perturbationes criticæ.

## §. II.

Ex his jam liquido patet, & quisque perspicere potest, ad quamnam criseos speciem referri debeat exitus morbi, cuius historiam tradidi. Ad duas priores species referri non posse, ex idea & definitione criseos stricte sic dicit,

dictæ, & illius, quæ resolutoria dicitur, manifestum est. Ergo ad metastasis pertinet. Quare, ne a scopo meo aberrem, & subiectum meæ dissertationis semper præ oculis habeam, talem instituo ordinem, ut initium faciam ab iis quæ futuram præsagiant, quæque præsentem esse indicant metastasis. Inde redeam ad partem affectam, illius subjungam descriptionem anatomicam, postea aliqua circa tumores relate ad hunc nostrum tradam, & demum examinatis gravibus illis symptomatibus, quæ tumoris jam aperto, acceperunt, agmen claudam.

## §. III.

Materia morbifica ut possit sanæ assimulari, evacuari, ad alia loca transferri, debet aliquam subiisse mutationem, præparationem, quæ vocatur coctio. Hæc supponit in humoribus vitium, ex quo functiones lædantur, quod cruditatis nomine venit, adeoque hæc duo prius definienda. Est autem cruditas, conditio illa seu status, in quo materia aliqua ita quoad molem, figuram, cohæsionem, mobilitatem instructa est, ut læsionem functionum producat, vel æquabilem motuum progressum turbet. vid. *Celeberr. BOERHAAV. de Signis Morborum* §. 922. Coctio est talis materiæ crudæ agitatio, qua vel ejus molles minuitur, figura invertitur, mala cohæsio tollitur, verbo, coctio est resolutio humorum ratione malæ mixtionis depravatorum. Hæc definitio non obstat, quo minus distinguitur in completam, & incompletam, immo hæc distinctio ulterius explicabit definitionem. Nimirum completa esse censetur coctio primo, dum particulæ noxiæ ita invertentur, ut sanis fiant simillimæ, secundo cum particulæ nocivæ a sanis separatae, per varia corporis coagulatoria edacentur. Incompleta vero dicetur illa, quæ materia peccans, aliquo modo digesta, præparata, mutata,

non nisi ex parte e corpore expellitur, dum reliqua por-  
tio ad alia corporis loca derivabitur. De hac nobis est  
fermo.

#### §. IV.

Signa quæ nobis declarant, adesse in corpore mate-  
riam aliquam vitiatam, sunt læsiones functionum tum vi-  
talium, cum animalium, quam etiam naturalium, & ea-  
rum a statu naturali sanoque recessus. Item vigor morbi  
non remittens, quin potius increscens, optime item di-  
gnoscitur præsentia materiæ morbificæ, per qualitatem vi-  
tiatam & præternaturalem variorum humorum excreto-  
rum. Ea vero quæ nos certo certiores reddunt de altero  
illo morbi statu, qui appellatur coctio, maturatio, peten-  
da sunt ex iis, quæ signis cruditatem declarantibus, e di-  
ametro sunt opposita; nempe res ægri tum temporis  
tranquille se habent, symptomiata a sua violentia remit-  
tunt, actiones vitales liberius & facilius procedunt, quia  
jam vires vitae increscunt, humores excreti non amplius  
morbosi, sed sanis simillimi. Quid sit porro in morbo,  
qui per crisiæ metastaticam judicatur? omnia illa signa co-  
ctioni completae propriæ, hic non occurrent, itaque æger  
ob aliquam materiæ morbificæ separationem & elimina-  
tionem melius se habebit, sed tamen ob præsentiam ali-  
cujus portionis hujus miasmatis, res ejus nondum erunt  
in tranquillo constitutæ.

#### §. V.

Quod si inquirere velimus in causam & cruditatis &  
coctionis, plurima circa priorem nobis essent enumeranda;  
quidquid enim functiones in corpore kedit, illud assigna-  
ri

ri debet tanquam causa cruditatis. Circa posteriorem autem assignamus primo loco seu præcipuam, & in omni morbo, ut feliciter judicetur, necessariam, virium vitæ superstitionis actionem, eamque materia morbifica superiorem. Secundo medicaminum, idoneo & congruente tempore exhibitorum, morboque appropriatorum virtutem, vim & efficaciam; hic non recenso spontaneam materiæ morbificæ resolutionem, tanquam causam coctionis, nec enim bene quadraret cum definitione illius, quæ supponit certamen aliquod & luctam, naturam inter & vitium in corpore existens debellandum, institutam.

### §. VI.

Supereft adhuc, ut signa quæramus, quæ declarant mutationem morbi per abscessum eventuram, quæ hujus est loci relate ad morbum descriptum. Circa hæc audiamus GALENUM L. 3. de Crisibus ita loquentem, dum proponit sigra criseos per abscessum futuræ. „ Si vero morbi „ ad abscessus converti videantur, communia quidem „ omnia indicia sunt, ubi salus ægræ deplorata non est, „ quod neque morbus solvatur, neque urina multa, & „ multam habens subsistentiam, sed cruda & tenuisappa- „ reat. Propria vero non admodum diuturnorum mor- „ borum, si æger in difficultatem respirationem repente „ incidens brevi quidem liberetur a tali respirandi „ difficultate; sed excipiat ipsum statim dolor, capitis gra- „ vitas inexpugnabilis dormiendi necessitas, furditasque. „ Huic siquidem in glandulosis post aurem partibus, ne- „ cessum est abscessum oriri. At si morbus fuerit inverte- „ ratus, neque ullum ex his signis adfuerit, sed in ægro- „ to ex locis inferioribus vel gravitas, vel tensio, vel „ incendium, vel dolor aliquis apparuerit, huic abscessus

„ ad

„ ad partes inferiores expectandis „ SENNERTUS L. 3.  
 „ p. 3. C. XV. signa tradens criseos quæ per excretionem,  
 & illius quæ per abscessum futura est, illa ab invicem di-  
 stinguit, sic ajens „ Si morbus non sit valde acutus, ma-  
 teria non valde tenuis & acris, sed crassior, virtus non  
 admodum robusta, per abscessum potius evacuatio spe-  
 randa, præsertim si longo tempore urinæ tenues & cru-  
 dæ exierint. Viæ quoque aptitudo ac propensio corpo-  
 ris monstrat, an sit futura crisis per abscessum, vel per  
 excretionem. Nam si viæ patentes sint, ægroque fu-  
 dor aut vomitus familiaris sit, hoc modo fere ab acutis  
 morbis liberatum iri possibile est. Qui vero articulorum,  
 aut aliarum partium doloribus vexantur, in his natura  
 ad consuetum locum solet materiam deponere „ De-  
 num & supra laudatus BOERHAVIUS ubi de signis mor-  
 borum §. 9. dicit posse cognosci locum quem materies  
 male cocta occupabit; pruritu, titillatione, rubore, dolo-  
 re, calore, tumore, stupore, pulsatione, agitatione, mo-  
 lestia perpetua. Quibus futuram, & præsentem cognosc-  
 mus metaстasim.

## §. VII.

Hicce prælibatis, ad partem affectam pedem promo-  
 veo, nempe ad tibiam utpote sedem illius tumoris, qui  
 per crisin metastaticam ibi fuit efformatus ejusque jam  
 præmitto descriptionem anatomicam. GALENUС mem-  
 oratum considerans, ita illius situm describit L. de Offibus  
 C. XXII. „ Tota pars cruris, quæ inter talum, genuque  
 posita est, ejusdemque partis os grandius, tibia appell-  
 atur. Hæc interiore in parte sita est, eique tantummo-  
 do femur ipsum annexatur. Os autem, quod extrinse-  
 cus locatum est, sura nominatur „ Utrum vero rotula,  
 seu

seu a similitudine, mola dicta ad crus pertineat, necne, non multum discutiam. BARTHOLINUS quidem libello 4. C. XXI, ubi de ossibus totius pedis, & HEISTERUS compendio suo anatomico ubi de extremitatibus inferioribus, VERHEYENUS tomo primo, trauctatu 5. C. XV. ubi de ossibus totius pedis rotulam ut cruri propriam non adscribunt. WINSLOV. autem expositione anatomica tomo primo, ubi de ossibus extremitatis inferioris, rotulam tanquam peculiariter tibiae & per consequens etiam cruri propriam, designat: & ea quidem de ratione, quia rotulam considerat, tanquam olecrani quoddam mobile, quod cum tibia super os femoris movetur. Sed quidquid de eo sit, non ultra morabor, & viam meam pergo.

### §. VIII.

Est igitur tibia, os longum, irregulari modo triangulare, superiori sua parte latum, inferiori respective angustum. Dividitur, sicuti omnia ossa longa in tres partes, nimirum partem medium seu diaphysin, corpus quoque ossis dictam, & duas extremitates, quarum una superior, inferior altera. Extremitas superior duas refert cavitates glenoideas, quæ duos condylos in extremitate inferiori ossis femoris fitos recipiunt. Notandum circa duas hafce cavitates, ratione situs in internam & externam distingueas, internam magis esse depressam externam, externam inferiori & paulo posteriori sua parte facieculam cartilagine obductam exhibere, cui annexitur fibulæ pars seu extremitas superior. Circumferentia extremitatis superioris gaudet figura ovali quoad anteriora, posterior enim pars in medio excissa est; anterius & superius cernitur tuberositas, spina tibiae vocata. Extremitas inferior, basis quoque salutata, ad latus suum externum depressa cernitur,

B &

& quidem longitudinaliter pro sua cum inferiori fibulae extremitate, articulatione, interno latere format apophy-  
sin quæ vocatur malleolus internus. Ima pars baseos ex-  
cavata est pro suo, cum superiori astragali parte, articulo.  
In corpore, seu in parte inter utramque extremitatem me-  
dia tres comode discerni possunt facies, quarum una in-  
terna, externa altera, tertia demum posterior. Itidem tres  
anguli, unus anterior crista nomine veniens & duo po-  
steriores. Nihil præter integumenta communia, & perio-  
steum, tegit cristam & faciem tibiæ internam.

### §. IX.

Substantia tibiæ est vel compacta & solida, quæ ip-  
sius corpus efformat, vel reticularis quæ magnam tibiæ  
occupat cavitatem, vel spongiosa quæ ossis occupat extre-  
mitates. Substantia reticularis sustinet medullam in mas-  
sa, succus vero medullosus seu massa in moleculis occu-  
pat alteram cavitatem a cellulis substantiae spongiosæ for-  
matam. Ergo duæ adscribendæ sunt tibiæ cavitates, qui-  
bus tertiam speciem adjungere possumus, ductus nempe  
& poros infinitos, quorum alii obliquum iter in osse in-  
stituentes, tandem ipsam substantiam penetrant, alii vero  
in ipsa substantia terminantur.

### §. X.

Quod musculos attinet, illos recensuisse sufficiat, qui  
tibiæ adjacent, nec ulteriorcm a me requiri debere eorum  
expositionem ac descriptionem existimo, illos enim ideo  
tantum recenseo, ut exinde possit illico perspici, quinam  
musculi præ aliis maxime fuerint affecti. Hinc nec usum  
eorum hic attingo, nec alium sequor ordinem, præter  
eum, quem mihi præscribunt facies tibiæ descriptæ. Sunt  
autem

zutem illi quoad faciem posteriorem tibiæus posterior, flexor longus pollicis, flexor longus communis. Quoad faciem externam, tibiæus anterior, extensor longus communis, extensor longus pollicis. His adjungimus adhuc gastrocnemios, utpote qui suram constituant, musculos alios posteriores obtegunt & læsi fuere. Solæum demum qui non solum cum his conjungitur, sed & ossi tibiæ adhæret una parte.

## §. XI.

Jam ad arterias, venas & nervos transeamus. Arteriæ procedunt immediate ab arteria poplitæa, quæ continuatio est cruralis; hæc nimurum, cum ad cavitatem poplitis descendit, nomen suum mutat & vocatur poplitæa, quæ ibi non nisi integumentis contingit. Hæc statim, cum retro caput tibiæ pervenit, duos largitur ramulos; primus five internus se ad anteriorem & superiorem tibiæ partem confert, inter ligamentum laterale internum excurrens. Præter plures ramulos, unum suppeditat recurrentem, qui cum arteriis condylos femoris permeantibus communicationem instituit & unionem. Ramus secundus five externus, inter caput tibiae & ligamentum, quod a latere externo genu est, repit, & fibulæ caput amplectitur. Idem etiam emittit ramiuscum, qui cum recurrente rami interni communicat. Antequam vero arteria hæc nomen suum deponat, adhuc arteriolam deorsum mittit, quæ tibiæ se insinuat per foramen aliquod peculiare, quod paulo supra partem ossis medium conspicitur. Demum in duos ramos dividitur, quorum unus tibialis anterior, alter posterior. Prior statim iter suum inter extremitates tibiæ & fibulæ superiores instituit, quo facto ramulos & sursum & versus latera dimittit, deinde

B 2                   pergit

pergit per faciem anteriorem ligamenti interossei tibiae ad latus externum, seu illud quod fibulae respondet, & in itinere suo plures musculis ibi sitis largitur ramulos. Secundus, quem producit poplitea, ramus dividitur in externum & internum; prior nomine arteria peroneæ venit, sed de illa nullus nobis erit sermo instituendus. Internus, arteria tibialis posterioris nomen gerit, hæc furalis quoque dicta, in musculos posterius fitos se insinuat, medullæ mediante canale osseum prospicit, imo inferius cum arteria tibiali anteriori sese unit. Quoad venas, eadem sunt nomina, eadem distributio, eadem origo, illud folummodo addendum, quod saphena parva a magna ortum trahens, in parte posteriori excurrat.

### §. XII.

Nervos quod spectat, illi partim a crurali, partim ab ischiadicò deducuntur. Primo notandum, quod nervus cruralis a truncu tertii paris nervorum lumbalium, antequam cum quarto communicet, ramum accipiat insignem, quem tanquam ejus accessorium considerare debemus, & cum quo unitur. Porro ex hac unione procedunt rami plurimi in anteriores & internos distincti. Hi musculum fætoriorum concomitantur ad eum usque locum, ubi tibiae inseritur, ibique in integumentis distribuuntur, quandoque observatum fuit, quod unus ex his nervis se ad malleolum usque internum & dorsum pedis contulerit. Funiculus cruralis postmodum præter plurimos alios ramulos, unum largitur, qui in parte femoris interna excurrit. Hic cum ad tibiam pervenit, ad saphenam, venam, accedit, & eodem fere itinere incedit usque ad malleolum internum, ubi integumenta vicina, ab eo filamenta recipiunt. Nervus ischiadicus, cum ad cavitatem poplitis

poplitis devenit, nomen suum mutat & poplitæus vocatur, hic in duos dividitur ramos, quorum unus præci-  
puus crassior & internus, alter vero minus crassus & ex-  
ternus est. Vocantur etiam hi duo rami, nervi ischiadici,  
& ratione ossium, quæ excurrunt, possunt iterum ab in-  
vicem distingui, ita ut unus vocetur ischiadicus tibialis,  
alter vero ischiadicus peronæus, quam denominationem  
etiam assumo. Prior musculum solæum in superiori sua  
parte perforat atque inter illum & flexorem digitorum  
pedis communem usque ad basin tibiæ, ad latus ejus in-  
ternum iter suum instituit, & sic musculus memoratis  
prospicit, & ad integumenta, plurima mittit filamenta.  
Non omittendum quod crassus hic ramus antequam infe-  
riora tibiæ attingat, ramulum superiora versus ableget,  
qui & tibiæ posteriori filum, unumque tibiæ antico  
largitur. Hæc circa descriptionem tibiæ anatomicam suf-  
ficiant. Ad tertiam institutæ divisionis partem me confe-  
ro, & de tumoribus sermonem instituo.

## §. XIII.

Tumor in genere vocatur omnis illa prominentia præ-  
ternaturalis, quæ alicui parti in corpore adnascitur. Hoc  
senfu acceptum nomen illud, non tantum designat tu-  
mores illos, qui stagnationem humorum in aliqua parte  
molli, pro causa agnoscent, sed etiam illos spectat, qui  
a situ mutato partium organicarum originem trahunt,  
uti in herniis, luxationibus. Item ad illos se extendit,  
qui ab intumescientia ossium oriuntur, quique nomine  
exostosium veniunt, demum etiam tumores dicuntur ii,  
qui a præsentia corporis alicujus extranei formantur. Vo-  
cis igitur illius denominationem strictius designabimus &  
specialius definiemus. Est nimirum tumor prominentia

B 3 præ-

præternaturalis, a stagnatione humorum ortum dicens, ideoque humoralis dicendus. Distinguuntur porro tumores tam ratione sedis, quam causæ indolis & naturæ humorum, qui illos efformant, in internos & externos, essentiales, criticos, sanguineos, serofos, emphysematos &c. Has species optime delineavit *Celeberrimus Col DE VILLARS T. I. Prælect. Chirurg. L. I. C. I. de Tumoribus.* Tumores a stagnatione humorum ortos, & qua ratione hi tumores efformari possint, pulchre tradit *Fumigeratissimus LAFAYE Instit. Chirurg. Parte V. Sect. I. C. I.*

## §. XIV.

Non inquiremus hic in causas varias tumorum, hoc enim ab objecto meo me averteret; perspectum est præterea ex historia morbi, tumorem nostrum criticum esse, & a portione materiæ morbificæ, quæ non fuit evacuata, ad partem medianam inferiorem, & internam tibiæ delata, oriri. Nec circa diagnosin tumorum aliquid proferre, necessum duco; consulatur §. 6. ubi ex *GALENO, SENNERTO, BOERHAAVIO* repeti possunt ea omnia, quæ morbum hunc antecedunt, concomitantur & præsentem fistunt. Quæ circa prognosin tumorum in exterioribus sedem suam figentium proferri possunt, illa conspicuant, quando varios modos, quibus terminari possunt, recensuerimus. Quintuplici autem modo hoc accidere potest, nimirum vel resolutione, vel suppuratione, vel induratione, vel putrefactione, vel metallaſi.

## §. XV.

Hæc circa tumores in genere dicta sufficient. Videamus porro quænam tumori nostro obvenerit mutatio? Nimi-

Nimirum observatum fuit illum ad suppurationem tendere (est autem haec liquoris morbifici in materiam purulenta conversio) cum tumor mutationem illam subit, vocatur abscessus. Cognoscitur pus adesse, praecipue ex molitie, colore cutis mutato & albescente, pulsatione cessatione, liquidi fluctuantis sensu. Haec signa determinarunt Parentem meum, ut abscessum sectione instituta a puris presentia liberaret. A quo tempore res ægri melius se habuerunt, ut ex historia morbi patet. Num autem in illo statu perseverarint, in quarta & ultima dissertationis hujus parte, disquiremus. Hic loci adhuc perscrutabimur, quenam circa tumores in genere formari debeant indicationes, & quomodo illis satisfaciendum. Primo quidem sub initio vel ortu tumorum, cum liquida adhuc intra vasa moventur, removenda sunt ab eo loco, ad quem deferuntur 2do humores stagnantes, si possibile est, resolvendi. 3to Sin minus, suppurationi instituenda studere debemus 4to hoc facto, materia purulenta evacuanda. 5to Abstergere, expurgare, incarnare, cicatrisare oportet.

### S. XVI.

Nemo non videt duas priores indicationes tumori critico minus esse proprias: cavendum enim est, ne materia morbifica, in motu constituta, per humorum circulum ad viscus quoddam deferatur, statimque ægri pessimum, valdeque dubium, ne dicam lethalem reddat. Tres igitur posteriores indicationes in morbo nostro erant absolvendæ. Itaque ut materia morbi in pus convertatur, adhibenda sunt emollientia, relaxantia, maturantia; ut pus jam collectum expellatur, evacuetur, adhibendum est instrumentum chirurgicum sive illud sit scalpellus, sive lapis  
vel

vel pulvis quidam causticus: notandum tamen priorem modum posteriori semper esse præhabendum. Ad expurgationem abscessus requiruntur varia abstergentia, munitificantia, sarcotica, cicatrisantia. Hac ratione & methodo tumores critici, ni variae cause occasioales omnia perturbent. Itaque ad examen gravium eorum symptomatum, quæ illum adeo complicatum, curatuque difficilem effecerunt, me confero.

## §. XVII.

Hic incipit tragædia, & varia deplorati status in scenam prodeunt phenomena. Neminem latet in talibus casibus ubi aperto abscessu, suppuratio instituitur, exactum observandum esse regimen, ne naturæ turbetur opus item & quod vitia circa illud ipsum regimen diæticum, eo magis sint pertinæscenda, quod nullo modo præcaveri possint periculofissimæ, novæque quæ inde oriuntur aut oriri possunt metastases illæ nempe quibus materia purulenta ab extra fertur ad intra ope circulationis, intra humores contenta magis exaltatur, acrior fit, sanguinem corruptit, dissolvit, inflammations gravissimas, febrem, gangrænam, sphacelum, deliria, convulsiones, mortem non raro post se dicit. Non mirum ergo resorptionem puris febrem accendere, omniaque tunc tum interius tum exterius graviter affici, nam in exterioribus carnium pallor, livor, mollities, fungus, suffusio, odor fætidus, cadaverosus: caro mox nigrescit, gangræna succedit, sed & non hoc solum contingit, nam & pus in fundo ulceris hærens, si supra os decumbat, illud rodit cariem & sphacelum inducit. Hæc omnia in ægro nostro præter convulsiones & deliria observata fuere.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

Circa febrem & anasarcam quæ in ægro nostro adfuere, non multum morabor, vidimus jam ex historia morbi qua ratione debellata fuerit illa, quomodo dissipata anasarca. Sed aliqua de gangræna, carie, sphacelo dicenda supersunt. Exinde perspici poterit, quam tristis, quam dolenda fuerit ægri conditio, exitus autem morbi demonstrabit, quam feliciter ad meliorem statum, sanitatemque optimam redierit.

## §. XIX.

Definiri potest gangræna, quod ille sit partis solidæ mollis status, in quo supprimitur affluxus humorum vitalium ad eam, unde mors illius, corruptio, putrefactio, subsequuntur. vid. PLATNERUM *inflit. chirurg. ration. de gangræna & sphacelo* §. 169. QUESNAYS tract. de gangræna, bene monet hic non confundendam esse, ut plures putarunt, putrefactionem cum gangræna: potest enim fieri, ut aliqua pars emortua sit, abs eo ut putredo accedat. Illud tamen monendum, sæpiissime occurtere gangrænam cum putredine, hanc semper comitem habere gangrænam non ideo tamen confundenda illa duo. Gangræna iterum duas instituit species, unam designat humidam, sicciam alteram, quarum definitionem, naturam, caracteres, cauſas, signa luculenter tradit tractatu *supra laudato*. Sedes gangrænae præcipue quærenda est in tela cellulosa & adipe, musculis, membranis &c. Ea quæ prænunciaat inflammationi successuram esse gangrænam, sunt varia, nempe rubor, dolor, tensio, calor partis, pruritus, titillatio, pulsatio, quæ sunt inflammationi propria, remittunt, tuncque credit

C

æger

æger omnia bene se habere, & de meliori suo statu fibi gratulatur. Ubi vero gangræna affectus est locus ille, tunc adsunt in membro stupor, torpor, nulla sensatio, ita ut si etiam acu pungatur, aut alio modo tangatur, dolorem non percipiat, color cutis a rubro transit ad pallidum, imo lividum, nigricantem, pustulas referentem quæ vario humore corrupto, male olente, foetido refertæ sunt, si nempe putrefactio gangrænam comitetur aut antecesserit. Putredo a variis causis oriri potest & enasci, nempe ab humorum quiete, a languido eorum motu, imo a validiori motu & æstu & aliis adhuc, quas videre est apud PLATNERUM annot. 2. ad §. 169.

## §. XX.

Gangrænæ nascituræ variis obvenire possimus medicamentis, item & nascenti mederi, dummodo etiam præter exploratas medicaminum tam internorum quam externorum facultates, nobis probe nota sint ægrinatura, temperamentum, systematis nervosi conditio, num valida, an imbecillis & debilis, causa morbi. Gangræna vero, si jam partem aliquam occupat & abscessui aperto suppuratoque accidit, non efficacius non promptius cohiberi, coereri potest, quam si incisio protrahatur usque in vivum. Hoc quoque factum est in ægro nostro. Hinc videmus, quod multum hiare debuerit ulcus illud. Sed interim materia purulenta corrupta, acris & rodens facta, os ipsum vitio suo inquinavit, adeoque carie infecit. Qua ratione pus acre suum possit ossi communicare inquinamentum, eleganter describit PETITUS tract. de morb. off. t. 2. c. XVI. Ubi circa diagnostin, & modum curandi, nihil relinquit desiderandum. Os dupli ratione evadere potest cariosum, nempe vel dum materia purulenta, corroso periosteo, vasa quæ per ipsum

ipsum ad cavitatem ossis intrant, vel in ejus substantia terminantur, inficit, inquinat, rodit, vel humores tenues, acres corrosivi per arterolas minimas in perioste & hujus ope tum in ossis substantia, tum ejusdem cavitatis, ibique contenta medulla distributas, ducuntur atque deferuntur, ibique maxima edunt mala, licet in exteriori habitu nullus sit tumor.

### §. XXI.

Cum os nudatum est & cariosum, adhuc super est ut cognoscamus & dignoscere possimus, utrum tantum superficies, an vero dimidia pars substantiae, aut tota ipsa substantia vitiata sit; primo igitur utimur scalpro, os radimus, quo mediante separatur portio aliqua ossis sub forma pulveris friabilis, si caries tantum occupet superficiem, tunc aliquoties adhibito illo instrumento, facile tollitur, sed cum jam aliquoties adhibutum fuit, nec totam vitii partem auferre potuimus indicium est, cariem altius penetrasse, & tunc in usum vocanda sunt ferramenta candentia ossi immediate applicata ut sic fiat exfoliatio separeturque vitiatum a fano Si vero his auxiliis non obtinemus totam portionem cariosam, tunc inducimur ad credendum, totam substantiam ossis esse inquinatam & in tali casu sine dubio os est trepano perforandum. Porro haec tria auxilia adhibita fuere a *Parete*, ut cariem destrueret. Quomodo autem factum fuerit, quod æger demum sanitati restitutus fuerit, & potuerit iterum ambulare & incedere quo modo voluerit, certe non aliter intelligitur, quam quod medianibus nutrientibus, robustis novi laudabilesque succi nutritii elaborati fuerint, qui regenerationem carnium bonæ notæ effecerunt, quæ dein vacuum a modiolis factum supplererint, & tandem

tandem temporis mora, observato regimine fano, legitima curandi methodo cicatrix fuerit inducta. Haec sunt, B. L. quæ mihi circa tumorem graviaque quæ accessere symptomata, observanda venerant. Si minus bene elaborata sit, nec pro dignitate tractata illa materia, si quæ omissa, aut negligenter scripta sint, condones mihi velim meminerisque me adhuc tyronem esse.

## FINIS.







**ULB Halle**

004 592 964

3



März 1 + 12



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO-CHIRURGICA  
SISTENS  
**CASUM CRISEOS<sup>16</sup>**  
METASTATICÆ  
IN TUMORE TIBIÆ CUM SUBSEQUENTE  
ULCERE GANGRÆNOSO ET CARIE OSSIS SUBSTAN-  
TIAM AD MEDULLAM USQUE EXEDENTE  
FELICITER CURATÆ  
QUAM  
EX CONSENSU  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
**PRO LICENTIA**  
*SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME CONSEQUENDI*  
IN ALMA ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE  
SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT  
*DIE VI. DECEMBRIS A. MDCCCLVIII*  
**PETRUS NICOLAUS LERICHE Argent.**  
PHILOSOPHÆ DOCT. S. S. THEOL. BACCALAUREUS PRIMI ORDINIS  
ANATOMIÆ IN NOSOCOMIO REGIO DEMONSTRATOR.  
H. L. Q. C.  
ARGENTORATI TYPIS JOH. HENRICI HEITZII UNIVERS. TYP.